

questrari res debeat, quae in omni voluntaria sequestratione requiritur, sed de ea potius conuentione, qua ipsa sequestratio, de qua conuenit inter partes, perficitur. Illa conuentio est ipsorum contendentium inter se, haec utriusque litigantis cum tertio quodam, qui sequestrationem suscipere debet. Quum vero supra obseruaue-
rim, non in omni sequestratione opus esse, vt tertius interueniat, sed posse quoque sequestrationem sine sequestre perfici (§. VII.), intelligitur sane, nec omnem quidem sequestrationem voluntariam posse ad genus contractuum referri. Quid enim, vt hoc vtar, si conuenerit inter partes, vt ad aedem rem sequestrandam depo-
nant? Quod cum verum sit in sequestratione voluntaria, multo
minus negari id poterit in sequestratione necessaria. Quamuis enim
haec quoque possit contractu iniri, siue necessariam iuris naturalis
intelligas, siue iuris ciuilis sequestrationem, vt docui, tamen hoc
ipsum vt fiat necesse non est, sed potest etiam sine contractu per-
fici. Quem enim, quaeſo, contractum vis interuenire, dum quis
rem vi propria occupat, vt ipſe eam sequestret? Aut quis est con-
tractus, dum iudex iubet, rem apud officium, aut ad aedem deponi?
Vidit aliquid huius rei, qui saepius in iure nostro feliciter est phi-
losophatus, IOANNES GOTTLIEB HEINECCIUS ^{a)}, et, quem is vide-
tur esse sequutus, praeſtantissimus quondam Belgii Iureconsultus,
VLRICVS HVBERVS ^{b)}, qui vterque, quod generaliter dicunt de se-
questratione doctores, id restringit ad sequestrationem voluntari-
am, necessariam vero contractum esse, plane negat. Parum quo-

que

a) in *Elementis iur. ciui. secund. ord.* b) in *Praelect. ad Digest. Tit. cod. §. 4.*
Pandect. Tit. depositi §. 227. *n. 2. et §. 11.*